Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6719
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



Et ad angelos quidem dicit. Qui facit angelos suos spiritus: et ministros suos flammam ignis. Ad filium autem. Thronus tuus deus in sæculum sæculi: virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam: et odisti iniquitatem propterea unxit te deus deus tuus: oleo exultationis præ participibus tuis. Et tu in principio domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt tu autem permanebis: et omnes ut vestimentum veterascent. Et velut amictum mutabis eos et mutabuntur. Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient. Gra. Viderunt omnes fines terræ salutare dei nostri iubilate deo omnis terra. ℣ Notum fecit dominus salutare suum ante conspectum gentium revelavit iustitiam suam. Alla. ℣ Dies sanctificatus illuxit nobis venite gentes et adorate dominum quia hodie descendit lux magna super terram. Sequentia Sancti evangelii secundum Iohannem. Initium. Initio erat verbum: et verbum erat apud deum: et deus erat verbum. Hoc erat in principio